

pro Romana Ecclesia, facti & publicati. Datum Maceratæ, & in Monteblino in Consilio Generali, Anno Domini MCCCXVII. die XIV. Decembris, Pontificatus Domini Johannis XXII. Anno II.

Instrumentum continens, qualiter Dominus Vitalis Archidiaconus Camerinus, Rector ac Thesaurarius Marchiæ Anconitanæ pro Domino Papa remisit Comuni, Potestati, & Consiliariis dictæ Civitatis Anconitanæ, viginti millium Marcharum Argenti pœnas, in quibus pro certis inobedientiis & aliis per eos contra Ecclesiam Romanam commissis inciderent, retento quod sibi habeant solvere ducentos Florenos auri. Actum Maceratæ. Datum Anno MCCCXVII. die VI. Aprilis.

Instrumentum continens, qualiter Dominus Vitalis, ut supra, remisit Potestati, Officialibus, Judicibus, & pluribus Hominiibus singularibus Civitatis, Comitatus, & districtus Æsii, multas pœnas criminales & pecuniarias &c. Datum, ut supra.

Instrumentum continens, qualiter Dominus Vitalis, ut supra, remisit & quitavit pœnas mille Marcharum argenti, & aliarum mille, & alias decem mille Marchas argenti Comuni & Consulibus & aliis Officialibus Civitatis Pensauri, in quibus fuerant condemnati, ex eo quod dicto Rectori super mandatis eis factis nomine Ecclesiæ Romanæ non paruerant. Ac tamen dictum Commune convenit dare dicto Rectori ducentos Florenos auri. Datum, loco, Anno, & die, quibus supra.

Scribit Dominus Benedictus Papa XII. quod Rector Romandiola certis casibus possit Potestatem & Capitaneum deputare, & Sede vacante per sex menses tenere dicta officia: & elapsis sex mensibus eos deponere. Datum Avenione II. Idus Octobris, Anno IV.

Instrumentum obligationis conventionum factarum inter Sperantiam Comitem de Montefeletro pro se & Frederico filio, ac Guidone nepote suis ex una parte, & Dominum Amelium de Lancerto Rectorem Marchiæ Anconitanæ & Massæ Trebariæ, Terrarumque Sanctæ Agathæ, & Civitatis Urbini ac Comitatus quondam ipsius pro Ecclesia Romana ex altera, pro regimine Judicum & Vicariorum ac jurisdictionis gubernationis dictæ Civitatis. Actum Callii, Anno Domini MCCCXVIII. die V. Augusti.

Aliud Instrumentum obligationis & pactorum habitorum cum Frederico Comite Montisfeltri pro se & Guidone filio suo ex una parte, & Domino Amelio de Lancerto Rectore Marchiæ Anconitanæ, Massæ Trebariæ, Terrarum Sanctæ Agathæ, Civitatis Urbini & Comitatus quondam ipsius pro Ecclesia Romana ex altera &c. Datum Anno, quo supra, & die XIII. Augusti. Et ligatum cum præcedenti.

Processus, declaratio, & sententia contra Jacobum Moletum & Cerulum, ac Commune & Consilium civitatis Recaneti, per Dominum Amelium de Lancerto Rectorem Marchiæ Anconitanæ, Massæ Trebariæ, Terrarum Sanctæ Agathæ, & Civitatis Urbini pro Romana Ecclesia, late atque factæ super eo, quod ipsi dominium dictæ Civitatis Recaneti ad Ecclesiam Romanam pertinentis, tyrannice occuparunt, & contra dictam Romanam Ecclesiam eorum dominam deviendo rebellant. Actum Maceratæ Anno Domini MCCCXVIII. die XIX. Octobris.

Item processus & declarationes sententiarum

A contra Luppaium & Andream, quondam Milites de Auximo, & Potestatem ac Commune Civitatis de Auximo, per Dominum Amelium de Lancerto Rectorem, ut supra, super eo, quod ipsi dominium & jurisdictionem dictæ Civitatis de Auximo, & multa alia loca ad Ecclesiam Romanam pertinencia tyrannice occupaverant, & contra dictam Romanam Ecclesiam eorum dominam deviendo rebellant. Actum Maceratæ Anno Domini MCCCXVIII. & die XXIII. Mensis Octobris, tempore Domini Johannis Papæ XXII.

Instrumentum continens, qualiter Syndicus Parmensis recognovit Vicariatum & dominium dictæ Civitatis esse Romanæ Ecclesiæ, vacante Imperio. Et juravit: servare mandata Ecclesiæ, & non adharere rebellibus ejus. Actum Parmæ Anno Domini MCCCXXII. & die III. Decembris, Pontificatus Domini Johannis XXII. Anno VII.

Compositio facta per Syndicum & Procuratorem Terræ Cingoli Marchiæ Anconitanæ super sententiis, processibus, & aliis per Dominum Johannem Papam XXII. contra ipsos factis & promulgatis, pro eo quia fuerunt rebelles Ecclesiæ Romanæ & Rectori dictæ Marchiæ Anconitanæ. Datum Avenione Anno MCCCXXIV. die XXII. Augusti, Pontificatus ipsius Anno VIII.

In decem Instrumentis hic contentis continetur, quod Syndici Civitatis Firmanensis & Urbini, Castrorum Fabriani, Matrislodii, Castri Offanæ, Castri Sicardi, provinciæ Marchiæ Anconitanæ; quæ Civitates & Castra rebellaverant contra Ecclesiam Romanam, cujus sunt, submiserunt se Domino Johanni Papæ XXII. & veniam petierunt humiliter. Actum Avenione Anno Domini MCCCXXV. & MCCCXXVI.

Quinque Instrumenta continentia, qualiter Presbyter Martinus Rector Ecclesiæ Sanctorum Sergii & Bacchi de Selma de Urbe, recognoscens suum reatum, videlicet, quod durante Interdicto apposto in Urbe Romana propter Bavarium damnatum & hæresiarum Petrum de Corbaria Antipapam, in dicta Urbe existentes, Missus celebravit, & eis propter metum obediit, eos honorando, non tamen participando in hæresi prædicta, in quatuor Patriarchalibus Ecclesiis Urbis inter Missarum solemniam altâ voce coram Populo confessus fuit de mandato G. de Valle Camerarii Domini Papæ, antequam absolutionem ab eadem super illis sententiis obtineret. Actum Romæ Anno Domini MCCCXXX. die XIII. Aprilis.

Absolutio nobilium Vicecomitum de Mediolano, quia erant excommunicati & interdicti ex eo quia adharerant Ludovico de Bavaria per Ecclesiam damnato, & alia multa fecerant contra Ecclesiam Romanam, specialiter quia Dominus Johannes de Vicecomitibus se fecerat fieri Cardinalem & Legatum in Italia per Antipapam, damnatum per Dominum Johannem Papam XXII. De quibus omnibus ipsos penituit, & confessio errore, & agnita veritate, promiserunt multa bona pro Ecclesia Romana hic expressata, & de commissis se submiserunt ordinationi ejusdem Domini Papæ. Qui penitentias & pœnas sibi reservavit. Actum Avenione Anno Domini MCCCXXIX. die XV. Septembris.

Instrumentum procurationis Cleri & Populi Civitatis & districtus Mediolanensis, continens confessiones, errores, & confederationes, quas habuc-